DE LITTERARUM STATU
ATQUE PROGRESSU.

ORATIO

QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM BARCINONENSIUM
RENOVATIONE HABUIT

PETRUS PHILIPPUS MONLAU,

MEDICINÆ AC CHIRURGIÆ DOCTOR ET LITTERATURÆ PROFESSOR.

DIE PRIMA NOVEMBRIS ANNO MDCCCXLI.

(Jussu Universitatis typis mandatur).



BARCINONE:
APUD PAULUM RIERA.
1841.

6

DE LITTERARUM STATU
ATQUE PROGRESSU.

DE LITTERARUM STATU ATQUE PROGRESSU.

ORATIO

QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM BARCINONENSIUM RENOVATIONE HABUIT

Petrus Philippus Monlau,

MEDICINÆ AC CHIRURGIÆ DOCTOR ET LITTERATURÆ PROFESSOR.

DIE PRIMA NOVEMBRIS ANNO MDCCCXLI.

(*Jussu Universitatis typis mandatur*).



Barcinone:

APUD PAULUM RIERA.

1841.

ORATIO.

Cum multa sint quae vel alium quemlibet, in hac frequentia, in hoc splendore amplissimi conventus verba facturum commovere valeant, etsi auctoritate fretum et viribus ingenii subnixum, tamen habet causa mea novam quamdam et suam formidinem, qua mihi non mediocriter animum conturbari fateor, quod intelligo me ad dicendum consurgere, non modo neque auctoritate neque ingenio cum iis qui ante me dixerunt comparan-

dum, sed etiam qui videri possim in munus ferè alienum parum cum jure venisse. Supremum hunc locum, qui semper antea praeclariorum magistrorum fuit, ipse nunc primum attingo, non justus, sed fortuitus et precarius orator. Itaque, cum ad dicendum aggrediar, vos deprecor, Ornatissimi Patres, ut me sic audiatis, non tamquam me litteratissimo ordini furto temporis inserere, rhetorumque nomini et officio per occasionem irrepere voluerim, sed tamquam munus, ultrò mihi commissum non petenti, quomodocumque sustinere debuerim; ut si onere nimio praegravata laboraverit infirmitas mea, á me saltem aut pravae ambitionis aut inconsultae levitatis culpam abfuisse existimetis.

Mihi argumentum hac annua solemnitate dignum sollicitè circumspicienti, nihil prius occurrebat et animo obversabatur quam ingenuarum litterarum status atque progressus in Europa, ac praesertim in nostra Hispania. Dolendum certè ex animo est, Academici Patres, quod nostris hisce temporibus divina litteratorum scientia adeò labefactata ubicumque appareat, imò et corrupta, ut nihil ferè novum, nihil dignum, amatorum contemplationi sese objiciat. Fuit quondam Ho-

merus, fuit Virgilius, fuit Horatius Flaccus, fuit Juvenalis, fuit Tacitus, fuit Demosthenes, fuit Marcus Tullius et ingens copia vatum, oratorum et litteratorum qui saeculo Augusti floruere, qui pulcherrimis Graeciae temporibus bonas litteras atque ingenuas artes summo cum splendore coluerunt. Nunc vero ingenium humanum penitùs esse exhaustum quodam modo licet affirmare. Litterarias vias aut desertas, aut miserrimè infestatas videtis; nihil limatum, nihil verè monumentale evulgatur; atque in hac calamitosa inspirationum inopia, timendum reverà est ne suavibus litterarum delectationibus in aeternum orbatos nos videamus.

Cogitanti mihi quaenam hujusce phoenomeni causae esse possent, duas praecipuè inveni, atque illas detegere decrevi in hac solemni occasione, ante vos qui scientiarum sceptrum juremeritò obtinetis.

Et primò quidem scire oportet, quia neminem latet, hodiernos litteratores potiùs lucri causa quam gloriae stimulo ingenuarum artium campum saepè excolere. Oh! quam longè remota sunt illa tempora quibus Homerus *Iliadam* cecinit artis amore purissimo tantummodò correptus! Vir-

gilius quoque, Ovidius, Tacitus, Eschyles, Sophocles, Terentius, caeterique auctores qui monumenta litteraria posteritati ad nos usque legarunt, divitias contemnebant, operis praetium numquam efflagitabant, atque gloriae spe, populi plausu solummodò compulsi mirabilia conficiebant poemata, et opera in lucem prodibant quae verè linenda sunt cedro et levi servanda cupresso.

Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. . . . . .

Nunc vero, in hac nostra aerumnosa aetate, aerugo et cura peculi auctorum animos imbuit, atque gloriae spes, populorum plausus pro nihilo ferè habentur.

Quadraginta abhinc annis domina Staël, quae optimas artes haud infeliciter excoluit, jam aegrè conquerebatur de egestate inspirationum quae in operibus litterariis sui temporis deprehendebatur. Sublimitatem atque magnificentiam prout poterant fingebant auctores; reverà autem ampullosa verba, ritèque sonantes periodos,.... praetereaque nihil. Tanta fuit temporum angustia ut praeclarissimus historiae dux, et forsan in arte politica peritissimus (quamquam in Hispania nomen suum infausta memoria juremeritò recordemur) non

invenit cantatorem suis dignum factis; non fuit novus Tyrtaeus qui heroico carmine strenua Napoleonis arma modularetur. Nec mirum, A. PP., nec mirum equidèm, namque ad canendum necesse est ut adsit in vate stabilis intemerataque fides; atque illius viri gesta nullam veram fidem afferebant, nec praetereà, ut dixi, facile erat invenire poetam fidibus plectroque potentem, qui sublimioris modulamina cantus resonaret. Spectata vero rerum eventa Musas quodam modo justificarunt: é stylobate cecidit Colossus adversa fortuna jactatus; nec ex illo restat nisi nomen, nomen autem quod immortale manebit.

Horatius, insignis Horatius, qui humani cordis physiologiam indefessè perscrutabatur, rectissimè scriptum nobis reliquit nimias sensuum voluptates ac immodicas bonorum curas numini litterario esse planè inimicas. Nec immeritò certè, quia sensualia delectamenta phantasiae vigorem enervant atque cordis sensilitatem obtundunt. Immoderatus opum amor omnes affectus generosos et sublimes avellit atque eradicat: animus hoc, nunc uno nunc altero, laborans vitio, vel sensualitate et avaritia simul turpiter corrosus, non potest pulcherrimae naturae contemplationi atque

ipsius armoniarum studio diligenter vacare. Philosophia saeculi proximè elapsi omnes gratas immaginationis illusiones, omnes placidas mentis idaeas, omnes purissimos cordis affectus pedetentim delevit; humanum genus ad opes tantum adquirendas ex-professò fuisse creatum immaniter proclamavit; atque hisce dogmatibus, optimarum artium indoli é diametro adversis, lethalem ictum litterario numini intulit. Non mirandum ergo si Dante, Ariostus, Tassus, Metastasius, Boccacius, Petrarca in nobili Italia successores vix reliquerunt. Non mirandum etiam quod celeberrimorum Galliae scriptorum, qui quondam nitidissimè coruscarunt, levis memoria hodierna die solummodò extet: divina litterarum ars fabrili et ferè mechanicae arti nunc adaequatur; litteratores illi qui temporaria et fugaci fama meritò vel immeritò gaudent, nomen suum garrulis scriptoribus commodant atque bibliopolis vendunt..... quid ampliùs?... Hispaniam nostram consultò praetermittam; infandos etenim necesse foret renovare dolores si, ad nostram litterariae historiae auream aetatem evadens, ad praesentem usque obscuram et tenebrosam epocham submergendum nobis esset. Eheu! quantùm mutatus ab illo litterarum

in Hispania status! Nauseas et sordes prae illo, si ingenium ingenio et artem arti opponeremus.

Longum foret, Amplissime Doctorum Coetus, longum foret singulas quasque secundarias causas quae bonarum litterarum progressum hoc tempore repugnant minutatim investigare. Rerum publicarum demens ardor, qui passiones frequenter accendit atque imperii et potestatis ambitionem miserrimè gignit; regularum artis vecors contemptus; classicorum auctorum injusta despicientia; praecox atque avidissima plausuum cupiditas in juvenibus; litteratorum in judicando et in componendo perversa divisio quae artis castra in factiones disjungit..... totidem concausae sunt hujusce quem deploramus lamentabilis bonarum litterarum status. Sed in illis diutiùs immorari per temporis angustiam non decet. Satis erit si alteram atque praecipuam ingenuarum artium decadentiae causam pro coronide indigitemus.

Omnibus nota planè est animorum proclivitas versus scientias quae naturales atque exactae nuncupantur. Propensio haec, quae saluberrima rectissimè censetur, et quae innumera commoda atque beatitudinem quam materialem vocant producit, immaginationis nervum necessariò avertit

animumque ad novi generis contemplationes extollit. — Absit verumtamen hoc á me piaculum ut naturalibus et mathematicis disciplinis quidquam detrahere velim, bonasque litteras per aliorum injuriam crescere videantur! Sit illis quoque suus honos; favendum est omnium laboribus, omnibus vitae bonis favendum; nullius industria laude sua fraudetur: sed nulli ita odiosè sibi placeant, aut ita importunè suis gaudeant bonis, ut nostra rursùs non agnoscant. Ego enim ita mecum animo meo statuo, cum universa ratio naturae rerum sit duplex, quae quidèm corpore et mente constat, sitque duplex omnis ratio studiorum, ut alia circa corpora et ea quae corporibus accidunt versentur, alia circa mentem et ea quae mens efficit, ita statuo, inquam, hujus sortis esse nostrum laborem, neque á contemplanda et investiganda natura rerum cessare. Illam vero contemplamur non qua parte vulgo patet, sed qua secreta magis et á sensibus remota est; non haeremus circa materiam obviam et obnoxiam, quae certa locorum regione finiri et deprehendi possit; sed cogitationes hominum, sed ingenia sequimur, res extra visum, extra patentiam omnem positas. Dum audire et novisse juvat quidquid poesis aut

mollius lusit, aut sublimius spiravit, quidquid grandius sonuit eloquentia, quidquid philosophia aut solertius disputavit aut animosius divinavit, vim mentis vividam contemplamur per omnem aetatum seriem diffusam, imò ipsam humanitatem, quae tempore et memoria constat. ¿Quid igitur aliud quam colimus partem alteram, sed meliorem et quasi divinam naturae rerum, quae, cum in caeteris moveatur, in plantis crescat et vivat, in mutis animalibus vivat et sentiat, in homine demùm et sentit et cogitat, in homine vim suam consummavit, per quem ipsa se excolit, ipsa in se intendit et est suî conscia?

Haec sunt, Optimi Adolescentes, studia nostra: quae si verè sunt hominis, si tantam dignitatem habent quantam intelligi volo, voluptatemque simul cum dignitate conjunctam, mihi liceat ad illa colenda vos hortari, ut vobis nobilior elegantia morum et ingeniorum contingat, altior vigeat intellectus, vita omnibus ornamentis decorata floreat.

Quamquam brevissimè, satis attamen dixi de causis quae litteraria studia prostrata atque abjecta retinent. Vestrûm igitur est, dilectissimi juvenes, illas, quantum in vobis sit, ardenter remo-

vere, atque nos juvare ut citò illucescant novi dies quibus patriam litteraturam ad summùm evectam faustissimè videamus. Artem pro solo artis amore colere debetis, namque si vilem mercedem statim quaeritis, conticebunt Musae, nihilque politum, nihilque durabile in lucem prodibitis. Artis regulas strictissimè observate, ac praesertim in initio: vos exemplaria classica nocturna versate manu, versate diurna; Garcilaso, Argensola, Lope de Vega, Iriarte, Moratin, Quintana attentè perlegite: Granada, Mariana, Cervantes, Quevedo, Isla, Jovellanos decies repetitam lectionem commendo; locupletiores enim fructus ex eorum operibus feretis, quam ex aberrationibus litterariis quae ad novam scholam attinent et quae barbaro *romanticismi* nomine solent insigniri. Exactas et naturales disciplinas non abhorrete; sed si fortunatè vobis in delitiis sunt, sed si vobis fatum est illas intento animo prosequi, scitote quod in ingenuis artibus difficillimè excelletis; mediocritatem vix attingere vobis fas erit, atque vulgatum est horatianum illud: *mediocribus esse poetis non homines, non Di, non concessere columnae.*

Age, ergo, amici Auditores! nostratis littera-

turae regeneratio vobis est commendata; vestris etiam laboribus patriae fatum commendo. Respublica circumspicit unde novi exoriantur cives, consilio, manu, industria, ingenio pollentes, quorum prudentia regatur, virtute defendatur, laboribus crescat, neque desint artium ornamenta et festivitas. Inter vos, hodie teneros adolescentes, adesse intelligo futuros excellentes viros, futuros artium et scientiarum praestantissimos duces, omnibus quidem adhuc obscuros, Deo tantum notos qui fata disposuit, donec sua quemque dies é medio suscitet claraque in luce collocatum ostendat. In hanc diem, in haec officia crescite! Citiùs quam pro vestra juvenili simplicitate existimatis illud aderit tempus quo vos, in virilem aetatem transcriptos, patrum atque magistrorum labori succedere oportebit: tunc vestrûm erit jam adulti roboris fidem praestare; tunc quam parentibus et magistris pietatem debetis exsolvetis Patriae, Patriae, cujus vel solum nomen omnem beneficiorum memoriam, rationem officiorum omnem complectitur.

DIXI.

